

NOVUS FOSSILIUM INDEX

RATIONES PONDERIS, CAPACITATIS

ET

OXYGENII PARTIUM CONSTITUTIVARUM OSTENDENS,

CUJUS PARTEM PRIMAM

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE GADOLIN

CHEMIÆ PROFESSORE AD ACAD. IMP. ABOENSEM EMERITO, ORDINUM
IMPERIALIUM DE S:TA ANNA IN II:DA CLASSE ET DE S:TO WOLODIMIRO IN
IV:TA CLASSE EQUITE; ACAD. IMP. SCIENT. PETROPOLITANÆ, SOCIET. IMP.
LIB. OECONOM. PETROPOL., SOCIETAT IMP. PHARMACEUT. PETROPOL.,
SOCIET. IMP. MINERALOG. PETROPOL. SOCIET. IMP. NATURÆ STUDIOSORUM
MOSCOVITICÆ, SOCIET. IMP. AGRICULT. MOSCOVIT., SOCIET. IMP.
OECONOM. FENNICÆ, ET PLURIUM ACADEMIAR. AC SOCIETAT.
SCIENTIAR. EXOTICARUM MEMBRO

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS VILHELMUS RAMSTEDT

STIPEND. PUBL. OSTROBOTNIENSIS.

IN AUDITORIO PHILOS. DIE XXV MAJI MDCCCXXVII.

H. A. M. S.

ABOÆ.

TYPIS FRENCKELIANIS.

T H E S S.

I.

Cognitiones rerum sensibus nostris ac rationis ductu ubique acqvirendæ sufficient ad usum nobis in hac vita necessarium ex objectis apparentibus capendum, jucundamque simul præbent opportunitatem admirandi sapientiam inscrutabilem Creatoris, cuius opera numquam penitus intelliget sagacitas humana.

II.

Quamvis, crescente per industriam humanam scientia, novæ quotidie inveniantur perficianturque artes utilitati et vitæ commodis inservientes, mortalibus tamen non concessum est naturam nisi minutatim persequi, et e longinquo quasi œconomiam mundi creati intueri.

III.

Quo ultra statutos indagini humanae terminos extensa fuerunt conamina philosophorum levitatem potius quam perspicaciam prodiderunt ingenii, siquidem historia scientiæ naturalis testatur, reputaciones ex speciosa observationum analogia quondam deductas, nemini non interdum acceptas, postea varie mutatas, deinde rejectas, iterum resuscitatas, integratas et abolitas fuisse.

IV.

Itaque acu rem tetigisse videntur, qui asseveraverunt, maximum emolumentum studii naturalis in eo consistere, ut certius persuadeaemur et distinctius videamus, præclusam semper fore generi humano ad arcana naturæ viam.

V.

Ex enuntiatione eorum, qui corpora omnia ex substantia crassiore, qualitatibus materiae omni communibus dotata, et subtilioribus aliis sive viribus cuique corpori propriis consistere judicant, ea necessario deducetur consequentia, quod nonnisi unica sit materiei puræ species, innumera vero virium varietas et multitudo.

NOVUS FOSSILIUM INDEX
TERNARIUS.

PROOEMIUM.

Plures abhinc annos, deincepsque, cum in partibus fossilium constitutivis investigandis ac definiendis strenue versarentur chemici, otia nostra amavimus consumere in colligendis analysium consectariis, ut videremus, annon ex his principiis erigi possit systema, percognita quæque fossilia distincte descripta et in seriebus continuis disposita complexurum.

Si in corpore æquabili, et qua naturam suam, et qua mutuam proportionem detectæ habeantur singulæ ibidem latentes inter se conjunctæ partes, omni sine dubio per harum expositionem sufficienter determinata erit illius constitutio. Si itaque per analysis chemicam fossilis cujusdam exacta acquisita sit cognitio partium ejus constitutivarum, quin et quantitatum earundem, nihil ulterius desiderabit, qui *speciem mineralogicam* a quibuscumque aliis perfecte discernere ambit. Quod si ea sit plurium specierum similitudo, ut nonnisi partium proportione inter se differant, cunctæ facile referentur ad unum *genus mineralogicum*, in quo constanter ejusdem naturæ erunt constitutivæ partes, eundemque habebunt ordinem quantitatum.

Repræsentetur charactere *a b c d e* genus lapidis ex substantiis diversis *a, b, c, d, e*, compositi, in quo *a* maximam efficit partem, *b, c, d* minores, secundum ordinem quo se invicem sequuntur, et *e* minimum. Quoniam unumquodque genus comode refertur ad familiam ejus substantiæ, quæ ibidem prævalet, pertinebit lapis signatus ad familiam *a*. Et ordo substantiarum,

rum, qui pro successione familiarum adoptatus est, observabitur aptissime in disponendis series generum ad quamlibet familiam relatorum. Si jam ordine litterarum se invicem excipiunt familiae *a*, *b*, *c*, *d*, *e*, &c. prodibit, in quavis familia, series generum, ex paucioribus vel pluribus harum substantiarum constitutorum, sequenti schemate representanda. Scilicet ex conjunctis diversimode quinque substantiis, habebuntur, si plena sint seriei membra, genera sexaginta et quinque. In familia enim *a* quaerenda sunt:

Genus 1. <i>a.</i>	Genus 2. <i>ab.</i>	Genus 3. <i>abc.</i>	Genus 4. <i>abcd.</i>
Genus 5. <i>abcde.</i>	Genus 6. <i>abce.</i>	Genus 7. <i>abced.</i>	Genus 8. <i>abd.</i>
Genus 9. <i>abdc.</i>	Genus 10. <i>abdce.</i>	Genus 11. <i>abde.</i>	Genus 12. <i>abdec.</i>
Genus 13. <i>abe.</i>	Genus 14. <i>abec.</i>	Genus 15. <i>acecd.</i>	Genus 16. <i>abed.</i>
Genus 17. <i>abedc.</i>	Genus 18. <i>ac.</i>	Genus 19. <i>acb.</i>	Genus 20. <i>acbd.</i>
Genus 21. <i>acbde.</i>	Genus 22. <i>acbe.</i>	Genus 23. <i>acbed.</i>	Genus 24. <i>acd.</i>
Genus 25. <i>acdb.</i>	Genus 26. <i>acdbe.</i>	Genus 27. <i>acde.</i>	Genus 28. <i>acdeb.</i>
Genus 29. <i>ace.</i>	Genus 30. <i>aceb.</i>	Genus 31. <i>acebd.</i>	Genus 32. <i>aced.</i>
Genus 33. <i>acedb.</i>	Genus 34. <i>ad.</i>	Genus 35. <i>adb.</i>	Genus 36. <i>adbc.</i>
Genus 37. <i>adbce.</i>	Genus 38. <i>adbe.</i>	Genus 39. <i>adbec.</i>	Genus 40. <i>adc.</i>
Genus 41. <i>adcdb.</i>	Genus 42. <i>adcbe.</i>	Genus 43. <i>adce.</i>	Genus 44. <i>adceb.</i>
Genus 45. <i>ade.</i>	Genus 46. <i>adeb.</i>	Genus 47. <i>adebc.</i>	Genus 48. <i>adec.</i>
Genus 49. <i>adecb.</i>	Genus 50. <i>ae.</i>	Genus 51. <i>aeb.</i>	Genus 52. <i>aebc.</i>
Genus 53. <i>aebcd.</i>	Genus 54. <i>aebd.</i>	Genus 55. <i>aebdc.</i>	Genus 56. <i>aec.</i>
Genus 57. <i>aecb.</i>	Genus 58. <i>aecbd.</i>	Genus 59. <i>aecd.</i>	Genus 60. <i>aecdb.</i>
Genus 61. <i>aed.</i>	Genus 62. <i>aedb.</i>	Genus 63. <i>aedbc.</i>	Genus 64. <i>aedc.</i>
Genus 65. <i>aedcb.</i>			

Similiter, si nonnisi ex duabus partibus *a*, *b*, constituantur genera familiae *a*, habebitur summus horum numerus 2. Si ex tribus, 5. Si ex quatuor, 16. Si sex in computum veniant substantiae, poterunt genera 327 numerari, et sic porro.

Per analyticas chemicorum operationes, numquam non e corporibus compositis elici novimus substantias et electropositivas

vas et electronegativas, quæ cum se mutuo appetant, censentur inter se fuisse conjunctas. Si vero ad phænomena conjunctio-
nis earum attendamus, facile perspicimus, partim tum abire vi-
res electricas, a quibus præcipuae illarum affectiones depende-
bant: ex quo concludere fas est, quod mutata sit, sub concre-
tione, earum indoles. Attamen, quamvis propterea ex analysi
chemica, non patefacta esse videatur vera partium constitutiva-
rum in corpore naturæ, quo adusque in confessu sit, pondus ma-
teriæ integræ in corpore composito æquale esse ponderi partium
extricatarum simul sumtarum, sine erroris periculo ponere lice-
bit, conflatum esse corpus analysi subjectum ex ponderabilibus
partibus elicitis, et has quoque mutuis liberatas vinculis, ut ut
jam aliter sint affectæ, typice saltem genuinas representare par-
tes corporis constitutivas, pondere sibi æquales.

Quæ cum ita esse nobis visa sint, non hæsitavimus fossilia
examinata ceu composita considerare e substantiis simplicioribus,
quas sua arte nudaverunt chemici, metallis nempe aliisque cor-
poribus inflammabilibus, oxydis eorum, acidis, terris et alcalibus.
Atque quoniam singula hæcce, secundum theoriam non ita pri-
dem universim receptam, originem ducere ponebantur e radicali-
bus simplicibus, quorum plurima quidem sensibus patefacta e-
rant, nonnulla vero probabilia tantum et imaginaria ceteris ideo
adnumerabantur, ut uniformis esset omnium corporum anorga-
nicorum consideratio: nos quoque, cum ad normam omnibus
convenientem ordinare vellemus fossilia, elementa ista, tam ve-
ra quam commentitia, pro ducibus sumsimus familiarum. Unam-
quamque porro familiam sive *classem* in duos dividendam esse
judicavimus *ordines*, quorum alter inflammabilia, alter oxydata
complectetur fossilia. Cum denique arbitrarius nobis videtur
ordo, juxta quem collocentur classes fossilium, modo idem
constanter in expositione observetur, initium facere optavimus
a metallis, quæ secundum rationem ponderum specificorum dis-
posuimus. Deinceps insequi fecimus radicalia alia acidorum,

terrarium et alkalium, ut agmen clauderent substantiae maxime basicæ. Sic ex corporibus elementaribus, quæ fossilia examinata constituunt, exstitit series XLVI familiarum, quarum ducum nomina et signa symbolica sequente ordine proferimus.

I. Platinum,	cujus signum symbolicum	Pt.	pondus specificum	23,543.
II. Iridium,	- - - -	Ir.	- - -	19,5.
III. Aurum,	- - - -	Au.	- - -	19,258.
IV. Hydrargyrum,	- - - -	Hg.	- - -	15,612.
V. Palladium,	- - - -	Pa.	- - -	11,55.
VI. Ptumbum,	- - - -	Pb.	- - -	11,3523.
VII. Argentum	- - - -	Ag.	- - -	10,4743.
VIII. Bismuthum,	- - - -	Bi.	- - -	9,827.
IX. Nicolum,	- - - -	Nc.	- - -	9,
X. Cobaltum,	- - - -	Co.	- - -	8,5384.
XI. Uranium,	- - - -	Ur.	- - -	8,1.
XII. Cuprum,	- - - -	Cu.	- - -	7,788—8,88.
XIII. Ferrum,	- - - -	Fe.	- - -	7,207—7,788.
XIV. Stannum,	- - - -	Sn.	- - -	7,2963.
XV. Tantalum, s. Columbium,	-	Ta.	- - -	- - -
XVI. Zincum,	- - - -	Zn.	- - -	7,1908.
XVII. Molybdænum,	- - - -	Mo.	- - -	6,536—7,4.
XVIII. Manganesium, s. Manganium	Mn.	- - -	- - -	6,85.
XIX. Antimonium, s. Stibium,	Sb.	- - -	- - -	6,7021.
XX. Wolframium, s. Scheelium,	Wo.	- - -	- - -	6,6785.
XXI. Tellurium,	- - - -	Te	- - -	6,115.
XXII. Arsenicum,	- - - -	As.	- - -	5,672.
XXIII. Titanium,	- - - -	Ti.	- - -	5,3.
XXIV. Chromium,	- - - -	Ch.	- - -	- - -
XXV. Cererium, (a) s. Cerium,	Ce.	- - -	- - -	5,

XXVI.

(a) Veniam nobis benigne concedat Illustris Inventor metalli a Cerere Dea, vel cælesti Sidere, denominati, quod metallum ita appellatum velimus, ut cognoscatur, non ab humili *cera* etymon habere vocabulum.

XXVI.	Selenium,	cuj. sign. symbolicum	Se.
XXVII.	Sulphur,	- - -	Su.
XXVIII.	Carbonium,	- - -	Cb.
XXIX.	Phosphorus,	- - -	Ph.
XXX.	Boracium, s. <i>Borium</i>	-	Bo.
XXXI.	Fluorium,	- - -	Fl.
XXXII.	Murium, (b)	- - -	Mu.
XXXIII.	Nitrium,	- - -	Nt.
XXXIV.	Silicium,	- - -	Si.
XXXV.	Zirconium,	- - -	Zr.
XXXVI.	Aluminium,	- - -	Al.
XXXVII.	Beryllium, s. <i>Glucinium</i>	Be.	
XXXVIII.	Yttrium,	- - -	Yt.
XXXIX.	Magnesium,	- - -	Mg.
XL.	Calcium,	- - -	Ca.
XL.	Strontianum	- - -	Sr.
XLII.	Barytium, s. <i>Barium</i> ,	-	Ba.
XLIII.	Ammonium,	- - -	Am.
XLIV.	Lithium,	- - -	Li.
XLV.	Sodium, (c) s. <i>Natrium</i> ,	-	So.
XLVI.	Potassium, (c) s. <i>Kalium</i> .	Po.	

In

(b) Quamvis non negemus naturæ consonam esse assertionem hodiernorum chemicorum, qui autumant *acidum muriaticum* e peculiari substantia, *chlorium* vel *chlorinum* appellata, accidente hydrogenio, nasci, et propterea mere fictium esse radicale, *murium* antea nuncupatum: hocce tamen adhuc, sine ambiguitatis periculo, ut elementum, quod oxygenatione in acidum convertatur, in expositione nostra sustinendum esse putamus, donec certius expertum sit, quænam alia acida similiter a conditione ceterorum aberrent, quo omnium interim harmonica sit consideratio.

(c) Vocabula *Sodium* et *Potassium* nuper chemicis fere omnibus familiaria; et hodie quoque apud plures gentes adhibita non dubitavimus in nostra expositione servare, cum sufficientem non videamus caussam abrogationis eorumdem. Existimamusque alcalia ex iis producta fœmininis vocibus *soda*

In singulis familiis, convenienter legi supra allatae, genera ordinare voluimus, prout partes constitutivas fidæ indicarent analyses, ut pateret, quænam cajuscumque generis potior sit pars, et quo ordine reliquæ se mutuo excipient. Cum vero partes, plurium analysis ope, e dato fossili erutas assignaremus, non nullas earum respectu ceterarum, valde exili quantitate comparere, interdumque prorsus desiderari vidimus. Has propterea, in expositione nostra, aut ut accidentales, et ad essentiam fossilis non pertinentes negleximus, aut ut dubias signo parentheses distinximus.

Sic nomina fossilium chemicis et mineralogis usitata, cum synonymis quibusdam Gallicis, Germanicis, Anglicis et Svetlicis, et nonnullis trivialibus, ordine alphabeticō enumerata in indice nostro exhibentur. His in subsequente columna adjunctas habemus explicationes constitutionum ex aestimatione partium, secundum sua pondera deductas, praeterquam quod signum aquæ, ubi hæc partem fossilis efficit, sive majore, sive minore adsit copia, semper ultimo loco posuimus, existimantes aquam plerumque, sua affinitate, ad fossile constituendum parum conducere, quin saepissime, etiam post aquam fugatam, non mutata censeatur fossilis natura, atque ad eandem speciem referri soleat fossile naturale sive aquam in sinu foveat, sive eadem orbatum sit. Partes fossilium inflammabilium symbolis majorum litterarum, oxygenatorum vero minoribus litteris designavimus. In antibus hujus columnæ signo numerali notavimus familiam cuique generi propriam, ibique cifris Romanis ordinem inflammabilium, atque Arabicis oxygenatorum distinximus.

Præ-

et potassæ, similiterque alcalia ammoniacæ et lithiæ, potius appellanda esse, quemadmodum etiam bases terreæ appellantur, quam quod illa omnia, secundum placita plurima hodierna, natri, kali, ammoniaci, lithii, neutrius generis nominibus, designentur.

Præcipuam attentionem poscere nobis visa est observatio, quod saepius eveniat, ut ejusdem nominis fossilia, per varias analyses, diversas admodum obtinuerint partium evolutiones. Inde factum est, ut fossilibus, quæ ejusdem speciei esse creduntur, diversa non modo generum, sed familiarum etiam, in nostro systemate atributa sint loca. Quæ proposito nostro incommoda ratio partim ex eo derivabitur, quod non æquali exactitudine omnes institutæ sint analyses. Ante aliquot annos magis quam hodie defectiva fuit, variisque nævis laboravit chemia analytica: itaque, progrediente scientia, factum est, ut quæ non ita pridem pro perfectissima habebatur fossilis cognitio, aliquando jam ex toto correcta sit. Eam ob caussam nonnullarum quidem ab auctoriis ipsis, post repetita experimenta, improbatarum et rejecltarum analysium consequentia prorsus negleximus, alia, quæ antiquis fidei esse nobis visa sunt, eo modo notavimus, ut nomen fossilis ambiguum litteris obliquis signaremus. Nihilominus evitare non potuimus, quin ineptius adhuc descripta multa offendantur, quæ e locis sibi assignatis quondam eliminanda erunt.

Aliam discrepantiæ caussam in eo sitam esse profitemur, quod idem nomen additum sit pluribus fossilibus, magis habita ratione formæ, et aliarum assimilationum, quam constitutionis chemicæ. Sed hanc rem mittimus, cum nostrum non sit hac occasione inquirere, utrum rectius ex alio quodam fundamento, an ex natura partium constitutivarum dijudicandæ sint fossilium cognitiones. Neque multi erimus in disceptando, num satis aptum et commodum sit eryctognostæ, de identitate supersedere earum corporis partium, quæ in aliquibus proprietatibus tantam produnt similitudinem, ut isomorphæ merito dicantur. Perspicuum tamen esse videtur, quod exspectationi ejus, qui exactam fossilis cognitionem acquirere ambit, vix aliud æque satisfaciat sistema, quam quod ipsi aperit, quænam sint fossilis elementa, quantaqve copia in illo delitescant. Neque facile in dubium revocari potest, quod species mineralogicæ, aliquo alio titulo seorsim

sim bene definitæ, non æque pronæ sint ad seriem continuatam efficiendam, ac si secundum proportionem partium ordinata juxta se invicem ponantur.

Denique anomaliae ansam frequenter dabit efficacitatibus non ubique consona quantitatum interpretatio. Pro sufficienter comprobato habetur, vim gravitatis, quæ corpora versus terram urget, in omnibus æqualem esse: proindeque materiæ cujuscunque pondus modulum esse quantitatis suæ, et facultatum quæ a quantitate dependent. Inde vero non sequitur, varias quoque alias, diversis corporibus insitas vires similiter inter se comparari posse. Immo agnitus dudum fuit, quod in corporibus compositis, virtute sæpius prævaleant partes pondere inferiores, ideoque ad obtainendam regularem et naturæ congruam ordinationem fossilium, non sufficiat exploratio, quanta sint pondera singulorum principiorum proximorum, sed hunc in finem alia insuper necessaria sint æstimationis fundamenta.

Luculentius hoc evasit argumentum, cum nostro tempore facultates diversorum corporum, et reciprocas actiones accuratius inter se comparare discerent chemici. Observaverunt nempe, quod, in corporibus per chemicas affinitates conjunctis, ita determinatæ sint quantitates relativæ partium adversarum, elecropositivæ scilicet et electronegativæ in quoquo connubio, ut cognita ratione nonnullarum ad mutuam saturationem necessaria, reliquas facili computatione assequi liceat. Pervestigatis legibus saturationum, inter plurimas substantias cognitas, exhibere potuerunt *valores capacitatum* earundem, qui quantitates repræsentaverunt a ponderibus diversas. Et sic orta fuit doctrina, de æquivalentibus substantiarum quantitatibus, sive, ut dicere amant, de proportionalibus earum numeris atomorum, quibus in ratione inversa opposita fuerunt pondera atomorum, sive *pondera relativa*, pondera absoluto æqualium, cujuscunque generis corporum.

Solliciti jam, ut alia ad hanc normam perficeretur fossilium ordin-